



ALPHABETVM  
AVGVSTINIANVM,

IN QVO  
Præclara Eremitici Ordinis ger-  
mina, virorumq;, & sæminarum  
domicilia recensentur

R TOMVS. I.  
AVTHORE

P. M. F. THOMA DE HERRETA  
Eremita Augustiniano, in S. Suprema In-  
quisitionis Hispaniarum Senatû Consultore  
Qualificatore; olim Priore Salmanticensi,  
& prouincia Castellæ Rectore prouinciali.

Excellentissimo Principi  
D. D. IOANNI TELLEZ GIRON  
DUCI DE OSSUNA,  
DICATVM.

Juan de Noort. 1613.



B. THOMAS  
DE VILANOVA  
PRIOR  
SALMANTICENSIS



B. IOANNES  
DE SAHAGVN  
PRIOR  
SALMANTICENSIS

1613. T. M. I. C. C. O. A. P. S. P. A. M. I. S. P. A.

**G.** nostris temporibus perseverat. Agit de S. Guillelmo Martyrologium Romanum die 10. Februarii, & Ordo Augustinianus sacram eius memoriam cō-  
 ceptione Pontificum, & immemorabili consuetudine solemniter celebrat. Vidimus in Bibliotheca Reuerendissimi Fortunati Sacrarum Apostolici Præfati duo Breviaria M. SS. in charta pergamenæ Ordinis Eremitarum S. Augustini secundum consuetudinem Romanæ curiæ, vnam paruum, & recentius, aliãd, maius, & antiquius. In illo, festa SS. Guillelmi, & Nicolai de Tolentino tanquam Ordinis propria notantur, & in hoc, S. Nicolai festum desideratur, & S. Guillelmi festiuitas continetur. Ex quo facile est conijcere ad minus fuisse scriptum ante annũ 1446. in quo Nicolaus in sanctorum cathalogum fuit relatus. Vnde non ab heri aut quãdã tertius Guillelmus inter Augustiniani Ordinis sanctos computatur.

*Galganus.*  
81.

S. Galganus, Chiusdini in territorio Senensi & Dioceli Vulterriana Guidotto & Dionysia nobilibus parentibus anno 1148. natus est, vixitque vita edita anno 1577. 1593. & 1614. Gregorius Lombardelli Dominicanus, Siluanus Razzi Camaldulensis, & Angelus Carozanus Dertonensis Augustinianas concordie conspiratione restantur. Adolescens ab Angelo ductus in Eremitam secessit: Nuptias Polixenæ pulcherrimæ virginis, Roberti filia, vt agnum quocumq; iret inter Virgines sequi possit, matrem seruandæ puritatis deliberatione reiecit. Romana Beatorum Petri & Pauli Apostolorum limina, & alia vrbis sanctuaria, deuota peregrinatione visitauit, & ab Alexandro III. benedictionem Apostolicam habuit, & sacra SS. MM. Fabiani & Sebastiani, & Stephani Pontificis pignora, quæ domum ditissimus reportauit.

In Eremitum reuersus, cellulam parvulam & ligneam, rotundam similem, à materia humilem, ab incolâ magnifi-

cam, proprio labore construxit. Cuius autem nollet à tua Eremita quasi 300. miliaribus ditare Religiosorum cœtum à S. Guillelmo, vt Lombardellus ait, institutum, & sub Guillelmo præfato mirabiles in vita spiritali fructus facientem, de monte in montem transmigravit vt paller, & à Guillelmo & Iocijis libenter in sodalitatem acceptus, sæpe ad expiandas sacramentaliter peccatorum maculas, & animam sacra sinaxi reficiendam, e solitudine ad eorum Monasterium remeabat. Anno 1180. die 1. Decembris, anno ætatis 32. (non 30, vt male voluit Angelus Carozanus, cum anno 1148. natus fuerit.) ascendit in montem Siepi, in quo, vt e monte ad cœlos ascenderet, anno 1181. die 3. Decembris beatissimo exitu vitæ finem imposuit.

Vix ad Christum profecturus Galganus expirarat, cum, inopinato occursum, propè Galgani cellam venere, Episcopus Massanus Senas pergens, & Volaterranus Vgo de Saladinis ex Comitibus Agnani nobilibus Vulterranis sanctitate vitæ & miraculis clarus, qui versus Chiusdinum iter agebat. Hi ergo Præfules diuino spiritu acti, Eremitam Galganum fama sanctitatis notum inuisere itatuunt, & dum cellæ approxinant, odore replentur suauissimo ex facto Galgani cadauere spirante, quem genuflexum intuebantur, & viuentem autumabant. Cognoscunt tandem e viuus sanctum hominem excessisse, & dum corpus tertæ mandare satagunt, ecce tres Abbates Ordinis Cisterciensis e Capitulo Generali ex Gallijs reuerentes, inter quos erat Abbas Fossanovæ, & Abbas domus Amariæ in Campania sitæ, qui postea ex proprijs, & fidelium elemosynis, quinque annorum excursu, sacellum rotundum construxerunt eo in loco, qui corporis sancti exuijs fruebatur. Ab his ergo Episcopis, & Abbatibus, & multitudine superuenientium populorum, (quos ideo videtur Dominus congregasse, vt, sicut alibi Lucanus cecinit

*Dignas funere magni  
Exequias fortuna daret;*  
Fuit solenniter tumulatus, nigra vnius  
ex Abbatibus cuculla superindutus,  
propter propriæ vestis laceram pauper-  
tatem; & Deus sanctitatem eius crebris  
miraculis declaravit.

Canonizatus fertur ab Alexandro  
III. vt Lombardellus in eius actis af-  
firmat. Verum, vt optime aduertit  
Card. Baronius in notis ad Martyro-  
logium, cum reperiatur Alexander  
Papa decessisse, ex hac vita ante S. Gal-  
ganum, nempe eodem anno Domini  
1181. sexto Cal. Septembris, & ille  
3. Nonas Decembris; fatendum vide-  
tur vel Galganum ante id tempus diem  
obiisse, vel ab alio Summo Pontifice in-  
ter sanctos relatum. Forte Rolandus  
Pisanus à Lombardello relatus verita-  
tem attigit asserens Alexandrum III.  
quinto anno ab interitu Galgani eum  
inter Cœlites regulisse. Iacet eius sa-  
crum corpus in Abbatia S. Galgani,  
quæ olim circiter centum & octog.  
ta monachos aiebat. Primus eius Ab-  
batix fundator circa annum 1193. vt  
habet Carezanus; at circa annum 1241.  
vt tradit Siluanus, fuit D. Galuanus  
Vulterræ Episcopus, & Stephe-  
nus Cardinalis in maiori templi sa-  
cello humatus. Caput verò Galgani à  
corpore auullum, circa annum 1520  
Carezano teste; circa annum vero  
1550. Lombardello, & Siluano refe-  
rentibus, in Senensi Monasterio S. Ma-  
riæ Angelorum, vulgariter dicto San-  
ctacio, Sanctimonialium Ordinis S.  
Augustini collocatum, & in taberna-  
culo argenteo repositum à populis ado-  
ratur.

Constat ex Gregorio Lombardelli,  
& Siluano Razzi fuisse Galganum ad-  
missum ad Ordinem Guillelmitarum.  
At errant hi Authores toto cœlo, si-  
cut & Carezanus; dum à S. Guillemo  
Congregationis Authore fuisse in so-  
dalitatem acceptum arbitrantur. Guil-  
lelmus enim hominem exiit an. 1156;  
quando nondum octo annos, vel pa-

rum Galgani exisset. Vnde cre-  
dendum potius ab alio illius Ordinis  
prelule, dicto Guillemo, habitum sus-  
cepisse. Ex hoc autem quod Guillemi-  
ta fuerit, non immerito Carezanus  
eum inter Eremitas Augustinianos ad-  
scribit. Sed nescio qua fundamenta  
Galganum Strabulo Rhodis potius quàm  
alteri Guillelmitarum Monasterio alum-  
num assignat, cum Lombardellus, &  
Siluanus cœnobium non expresserint.  
Eundem S. Galganum inter nostros  
Eremitas existimo numerari à M. Mar-  
quez cap. 13. §. 11. pag. 329. sub anno  
1256. sub nomine B. Galgani Clusini  
de Vulterra; & sub eodem nomine à  
Pamphilo in indice nostrorum Beato-  
rum, nullo assignato anno; & à Nico-  
lao Crusenio parte 3. cap. 10. pagin.  
144. circa annum 1300. sub titulo B.  
Galgani de Vulterra. Sic in antiquis  
rebus homines variant, dum nemo est  
qui claram faciem præluceat, & sola re-  
rū incerta memoria confuse perennat.

Vener. Gofendus, Monasterij S. Iu-  
liani de Piscaria in Lusitania felix a-  
lumnus; vnus est ex illis sex, vel sep-  
tem Eremitis Augustinianis, qui anno  
1193. deuotissimam Deiparæ imagi-  
nem possidebant, quam lue grassante,  
in Monasterio Alcobaciensi Ordinis  
Cisterciensis reponendam decreuerunt.  
Sed antequam illuc peruenirent, in emi-  
nenti loco ab Alcobacia vix duobus  
milliaribus dissito subsistentes, lethali  
tabe infecti, sed, vt Marquez ait pag.  
296. non sine sanctitatis opinione na-  
taræ debitum persoluerunt.

B. Ghesius de Sancto Miniato, sa-  
cris suis ossibus Lucensium Augusti-  
nianorum domum, illustrem reddidit  
& diuitem. Pretiosus corporis eius  
thesaurus latet in arca, siue vna, quæ  
stat ad parietem lateris principalis ec-  
clesiæ, & à terra eleuata inter orga-  
num & altare D. Hieronymo sacrum  
interiacet. Si quando reseratur, sua-  
uissimus odor ex Ghesiano cadauerē  
spirat. Durat post mortem fragran-  
tia in aridis illius ossibus, qui cum vi-

B. Ghesius.  
1250. &  
1324.